



Sancti Hieronymi Stridoniensis Operum, Tomi ...

In quo ipsi adscripta haec continentur: Commentarii in Iob. Commentarii in Prouerbia Salomonis. Homiliae quatuor Origenis in Canticum canticorum.

Commentarii in omnes Pauli Apostoli Epistolas. Quae omnia ad fidem vetustissimorum exemplarium multis mendis sublatis correcta sunt ... Qui autem horum ...

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Coloniae Agrippinae, 1616

Mariani Victorii Reatini Episcopi Amerini, Censura Commentariorum,, qui praesenti volumine continentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75132)

MARIANI VICTORII REATINI EPISCOPI AMERINI,

Censura Commentariorum, qui presenti volumine continentur.



DIVS Hieronymus exponens Amos Prophetam, dum quinto illius capite de Leuiathan mentionem facit, asserit de eo illiusque natura in volumine Iob plura dixisse, ex quibus verbis apparet, illum expositiones in Iob edidisse. Quae res forsitan persuasit aliquos, ut hi in Iob Commentarii, diui Hieronymi esse crederentur. Minime autem illius esse, ab eruditis ante nos iam receptum fuit: idque multis argumentis, rationibusque probatur. Nam praeter quod neque Hieronymi dictionem habent, & phrasim: nec etiam variae eruditionis splendoribus coruscant: eorum auctor vulgata Bibliorum editione, contra Hieronymi ipsius perpetuo retentam consuetudinem, semper vitur. Nulli bique, quod ille nusquam non facit, Septuaginta, Aquila, Symmachi, & Theodotionis interpretationum meminit. Stylus ipse, & commentandi modus, valde cum Commentariis in Prouerbia Salomonis conueniunt. Bedae autem presbyteri Angli labores hos esse, iam penes omnes receptum est: illiusve nomine typis mandati etiam sunt. Quam opinionem operis dicatio valde confirmat. Ad preces enim Veteris (vt ex illius calce apparet) editum est. Fuit enim Veterius apud Anglos Episcopus, vt testatur volumen illud quod vulgo CHRONICA ANGLICANA appellatur. Faustus Galliarum Episcopus, initio libri de creaturis, ex tractatu quodam D. Hieronymi recenser aliqua, quae ad verbum sunt in fine xxv. capitis: ex quo illa huc allata, manifestum est. Floruit autem Faustus circa annum Domini ccccxxx. Philippus presbyter, Hieronymi insignis auditor, edidit (teste Gennadio) etiam ipse sermone simplici in Iob Commentarios, eiusque nomine à Transalpiniis typographis impressi circumferuntur: libri scilicet tres, Nectario Episcopo dicati. Quorum principum est, adhortante te, imò potius compellente, Nectari pater beatissime. Quos tamen Bedae presbyteri potius esse, alii existimant: sunt ve inter opera Bedae, & sub titulo Bedae à Germanis aliis impressoribus postea typis mandati: adeo inualuit, vt quidquid incertum habet auctorem, Bedae adscribatur. Verum quia eiusdem hominis vtrique Commentarij esse non possunt, sequitur quod si illi ad Nectarium sunt Bedae, isti ad Veterium Philippi potius sint quam Bedae. mihi autem magis persuasum est, hos qui Hieronymi nomine circumferuntur, Bedae esse, & illos Philippi presbyteri, vt antea inuulgatum erat. maxime enim cum Commentariis in Prouerbia Salomonis isti conueniunt: Eos autem Philippi non esse, vt infra apparebit, compertissimum. Bedae autem esse, Tritemio auctore, iam penes omnes receptum.

Commentarii in Prouerbia Salomonis, ipsi etiam, vti antea animaduersum, communique eruditorum sententia receptum fuit, Hieronymum auctorem non habuerunt. Nam praeter quod Hieronymiani ingenii sublimitatem, doctrinae praestantiam, eloquentiaeque illius splendorem praese minime ferunt; dictio ipsa à Hieronymi plurimum dissidet dictione. Nulli bique Septuaginta, Aquila, Symmachi, & Theodotionis interpretationum, quod semper facit Hieronymus, meminit: Et (quod me maxime mouet) vulgata Bibliorum editione, contra ipsius Hieronymi consuetudinem, semper vitur. Recentioris autem alicuius hominis opus esse, & longe post D. Hieronymum scribentis, ambigi non potest: cum sexto Prouerborum capite, ab ipso Augustino petatum testimonium his verbis proferat: Nam & B. Augustinus octo esse genera mendacii, in libro quem de mendacio composuit, docet. Rursum capite xxiv. ita scribit: Vnde eidem vitio mederi volens beatus pater Augustinus, hos in sua mensa fecit versiculos describi:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam:

Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

Inueniuntur autem hi versus in sermonibus qui ad fratres Eremitas inscripti sunt. At non solum Augustini mentione facit operis auctor, sed (quod amplius est) ipsius etiam Hieronymi, dum xxx. capite ita scribit: Nam & in libro Hebraicorum nominum inuenimus idem verbum Hebraicum *שפן* Saphan, in Hieremia, & Charogryllum, & Leporem, & Ericium à S. Hieronymo interpretatum. Profert etiam xxxi. capite (suppresso licet nomine) Gregorii in Homiliis Euangelii testimonium, dum de litigiosa muliere interpretatur. Tritemius abbas Bedae presbyteri Angli Commentarios hos esse clare allerit: suntque iam inter Bedae opera à Transalpinis impressoribus typis mandati: In quam sententiam ipse etiam, nihil retractans, pedibus eo. Homilias quatuor in Canticum canticorum Originis esse (quamuis Bruno Amorbachius inficietur, Latini que potius hominis opus esse existimet) mihi compertissimum est. Vtrum autem à D. Hieronymo Latinitate donatae sint, an potius ab alio quopiam, incertum. Ipse certe Hieronymus, qui breuiores duas Originis Homilias in Canticum canticorum ad Damasum vertit: quas ille in morem quotidiani eloquii, paruulis adhuc lactentibus composuit (eas autem tertio volumine reperies) mentionem de his facit, & veluti eas postea interpretaturus esset, promittere videtur. Asserens Originem decem voluminibus, quae ad viginti vsque versuum millia perueniant, Canticum canticorum exposuisse. Quod opus se tum praetermississe ideo ait, quod ingentis esset otii, laboris, & sumptuum, tantas res, tamque dignum opus, in Latinum trans-

ferre

RON
7.8.

ferre sermonem. Eius autem verba ad Damasum summum Pontificem sunt hæc: Origenes cum in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico canticorum ipse se vicit. Nam decem voluminibus explicatis, quæ ad viginti vsque versuum millia pene perueniunt, primum Septuaginta interpretes, deinde Aquilam, & Symmachum, & Theodotionem, & ad extremum quintam editionem, quam in Actæo littore inuenisse se scribit, ita magnifice, aperteque disseruit, vt inde mihi videatur in eo completum esse quod dicitur, Introduxit me rex in cubiculum suum. Itaque illo opere prætermisso (quia ingentis est otii, laboris, & sumptuum, tantas res, tamque dignum opus in Latinum transferre sermonem) hos duos tractatus, quos in morè quotidiani eloqui, parulis adhuc lætentibus composuit, fideliter magis, quam ornate interpretatus sum: gustum tibi sensuum eius, non cibum offerens. Tu animaduertas quanti sint illa æstimanda quæ magna sunt, cum sic possint placere quæ parua sunt. Quisquis autem interpres fuerit, opus est eruditissimum, & sensuum maiestate, & eloqui splendoribus coruscans. Ipse à Hieronymo versus existimare, quam affirmare malo: & si vocem *ἀδελφίδις*, quam Hieronymus in illis duobus ad Damasum tractatibus, fratrualem vertat: Hic autem fratrum semper interpretetur.

Commentarii in tredecim Pauli Apostoli Epistolas, Hieronymi, ipsi etiam minime sunt: nam nec eius phrasim habent, nec eruditionem: quamuis in fronte operis Epistolam ad Heliodorum inscriptam, contineant: Quin potius hominis esse Pelagiana labe commaculati compertissimum est (ni ea tantum quæ orthodoxa non sunt, ab hæreticis potius sint adiecta.) Notauit hoc ante nos Ambrosius Catharinus Politus Compisæ Archiepiscopus, Catholicae religionis asseror: notauit & Sixtus Senensis, quarto & sexto Bibliothecæ sanctæ volumine: vterque errores Pelagianæ hæreseos, qui eo in opere inueniuntur, redarguentes. Si quis autem scire hoc concupiscat, liquido ex expositione quinti ad Romanos capitis inueniet: vbi Adæ peccatum in humanum genus, non propagatione, & traduce, sed exemplo tantum, & imitatione diffundi asserit: ac si illud non contrahant, nisi qui ætate adulta, & ad peccandum iam apta, Adam sceleribus imitentur. Quod ipsum ex interpretatione septimi capitis liquidius apparet. Enarrans enim illud, SINE LEGE PECCATVM ERAT MORTVVM, ita scribit: Item si cum lex non esset, peccatum mortuum est: insanient qui de Adæ peccato per traducem afferunt ad nos venire peccatum. Quæ opinio quam impia, & hæretica sit, nemo Catholicorum ignorat. Ego quid de operis auctore statuam, certi habeo nihil: nisi quod Hieronymi illud non esse, compertissimum est. Edi tamen curauimus eo modo quo antea typis mandatam circumferebatur, ne quid prior editioni deesset, nulla quidem syllaba à nobis auctum, diminutum, aut immutatum: Lectorum arbitrio, quid de illo existimare velint, penitus derelinqentes.

(0) 50

